NONNULLA DE MORBORUM ENDEMIORUM CAUSIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE IX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROL. FRID. ALEX. SCHLECHT
POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. WIRTH, MED. ET CHIR. DR.
E. ANTZ, MED. ET CHIR. DD.
F. HAMMER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Quodsi deficiant vires, audacia certe
Laus erit, in magnis et voluisse sat est.
Propert. lib. II. El. VIII.

AVUNCULO

OPTIMO, DILECTISSIMO, CARISSIMO,

J. G. LANGNER,

CIVI POSNANIENSI,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Vita non solum hominis, sed etiam omnium animantium conflictu naturae, quam vocamus externam, viget, crescit, sustentatur. Vita enimvero ipsa tenetur qualitate ac quantitate rerum externarum, quarum actione organismus ad reactiones provocatur. Est autem inprimis terra, quacum homo tali modo est junctus, ut ab ea omnia ad vitam sustentandam necessaria accipiat et in suam ipsius convertat naturam. Praeter hunc hominis cum terra connexum sine ulla dubitatione plus minusve pendet organismus noster a systemate solari, cujus terra pars est, et quo systema solare iterum aliis universi systematibus conjungitur. Quum vero systemata universi in nostrum systema solare vim quandam exerceant, systema solare porro in terram, terraque ipsa in organismos, qui ab ea ortum suum ducant, valetudo quoque hominum non solum a systemate solari nostro, sed etiam ab aliis universi systematibus pendeat necesse est. Attamen tantum abest, ut de his remotissimis systematum coelestium

actionibus disputem, ut demonstrare tantum conatus sim, quamnam vim et momentum habeant, et terra et sol in procreandis morbis praecipue endemiis.

Viribus, vitam sustentantibus, alienatis perversa oriatur vita necesse est, illeque provocetur valetudinis status, quem morbum nominamus. Morbi vero vario modo dividuntur, praecipue secundum systema corporis, maxime affectum; tum secundum actiones vitales organismi; secundum locum terrestrem ab hominibus inhabitatum; secundum morborum dissipationem, etc. Quod vero ad dissipationem attinet, morbi dividuntur in sporadicos, qui huc illucve nobis occurrunt, et in pandemios, magnam amplectentes terrae regionem, multosque incedentes homines; qui morbi pandemii iterum in epidemios, et endemios sejunguntur. Epidemios eos vocamus morbos, qui a causa communi adventitia ac rursus transeunte orti, in regionibus pluribus, temporibus incertis ac variis, multos simul aggrediuntur homines; quique, postquam per longum aut breve temporis spatium duraverunt, iterum cessant, nec de novo superveniunt, nisi interdum pristina causa morbi redeat. Endemiorum ex adverso nomen sibi vindicarunt illi, qui huic vel illi regioni quasi peculiares sunt, et certo anni tempore, aut totum per annum grassantur, nunquam regionem illam omittentes. At morbi endemii haud raro uni urbi proprii, aut angustissimo terrae spatio circumclusi in-

veniuntur. Sic Narbonnae, qua in urbe multae texuntur vestes ex lana, jam **Plinii** (1) temporibus carbunculus malignus grassabatur, quem quidem **Deleschampius** ulcus carcinomatosum fuisse censet, cujus vero naturam carbunculi **Honorius Bouche** (2) extra dubitationem posuit.

Verum negari non potest, morbos endemios per contagium ex regionibus illis, in quibus fixam suam sedem habent, in regiones, quibus conditiones morbos endemios procreantes desunt, translatos, epidemiorum formam accipere. Immo experientia docet, morbos per contagium in hanc illamve regionem importatos, initio saltem epidemios, repetitis infectionibus, morborum vernaculorum indolem certo respectu adipisci et a veris endemiis huic vel illi regioni propriis vix aut ne vix quidem distingui posse.

Causas morbos endemios procreantes, quae a variis inter se maxime dissimilibus pendent rebus, invenimus in aëris constitutione, in aquis, in humo, partimque in victu. Quum autem in omnibus quoque morbis summi sit momenti aëris conditio, aliaque, quae inter causas morborum endemiorum commemoravimus, medici est, ut circumspiciat, illud

---

(1) **Plinius**: historia naturalis, ed. Milleri. Berol. lib. 3. p. 34.

(2) Historia provenc. lib. 3, vide Werlhofii diquisition de variolis et anthracibus. Hannov. 1735. p. 115.

considerans Hippocratis, quod verbotenus addere nobis liceat:

»Quicunque artem medicam, dicit, (1) integre »assequi vult, haec faciat oportet. Primo quidem »temporum anni rationem habeat, quid unumquod- »que illorum possit. Nulla enim in re similia sunt, »sed multum differunt, tum ipsa ad invicem, tum »in propriis permutationibus. Deinde etiam ventos »calidos et frigidos, maxime quidem omnibus homi- »nibus communes, mox autem eos, qui unicuique »regionum sunt peculiares. Aquarum item faculta- »tes examinare convenit, quem ad modum enim »gustu differunt et pondere, sic quoque virtute »aliae aliisque longe praestant. Quare si quis ad »urbem sibi incognitam perveniat, circumspicere »oportet ejus situm, quomodo scilicet ad ventos et »solis exortus jaceat: non enim idem potest, si ad »Boream jaceat, et si ad Austrum; neque si ad so- »lis exortum, neque si ad occasum. Et haec qui- »dem diligenter oportet perscrutari, tum quomodo »in aquis se habeat; utrum palustribus utatur et »mollibus, an duris; sive ex sublimi sive ex saxoso »loco scaturientibus; salsis item crudisve. Terra »enim ita consideranda, nudane sit et aquis carens, »an densa et aquosa; item an concava et aestuosa, »an alta et frigida. Hominum insuper victus ratio

(1) liber de aëre, aquis et locis,

»perquirenda, an bibaces sint, an lucrones et otio »dediti, an vero exercitiis corporis et laboribus »aliis studeant, et edaces et vini temperantes etc.«

Etiamsi nobis causas morborum endemiorum perscrutantibus satis eluceat quandam materiam nocificam incognitam adesse, tamen vix negare possumus, secundum perscrutationes usque ad hoc tempus institutas, causas morborum endemiorum coeli temperiei, aëri, telluri, aquis, ventisque imponendas esse. De effectu horum omnium, sicuti vires valebunt, nunc disserendum mihi censeo.

CAUSAE.

Aër omnia amplectens illa est materia, cujus auxilio homo per respirationem vitam tenet. Unaquaeque mutatio partium constituentium, omnisque depravatio vaporibus aëri admixtis, vitam respiratione impedita turbet, mutetque necesse est. At non tantum aëris in pulmones introitus, sed etiam ejus actiones in cutem magni sunt momenti, magnopere sanitatem pravant et corrumpunt.

Vero enimvero cutis actio praecipue in regionibus calidis, tropicis, magnopere est adaucta, quapropter non miremur, quod morbi regionum illarum maxime exanthematum characterem sibi vindicent e. g. pestis, febris flava.

Quum vero morbi cutanei sub coelo calido sitarum regionum praecipue endemii occurruut nobis,

nonnulla de calore externo respectu caloris interni, vitalis, praemittere liceat.

Sub omnibus variisque climatibus homo calorem animalem proprium obtinere potest. Quum quolibet externae temperaturae aut majore aut minore gradu organismus semper certam obtineat temperiem, haud difficile est intellectu, fontem caloris animalis non in physicis et externis sed in vitalibus et internis organismi potentiis esse quaerendum. Si secundum beatum Rudolphium calorem animalem 29 — $29\frac{1}{2}$° R. ponamus, facile nobis elucebit, eum calorem longe calore externo regionum torridarum superari. At ex physeos legibus nobis notum est: corpora duo variae temperaturae tentare, ut innatum discrimen illud tollant, et unum eundemque tantum assumant calorem. Sic calor externus, si major est interno, detrimentum capit, si minor, adaugetur. Illius autem caloris interni perseverantia, adaucta aut minuta temperie externa, a perpetua actione earum partium, quae calorem vitalem creant, dependet. Quaeritur qua ex causa illa perseverantia, illa aequabilitas caloris apud homines sanos sub variis zonis habitantes, oriatur, cur Groenlandii calor internus, maximo detrimento semper expositus, non ad infimum gradum deprimatur, regionum tropicarum incolae non ad summum crescat aestum. Huic quaestioni facile respondemus, hoc tantum in mentem revocantes: san-

guinis oxydationem majorem in regionibus frigidis detrimentum hocce mox restituere; in regionibus autem torridis ex minuta oxygenii copia, sanguinis calorem calore externo augeri, superfluumque per sudorem tam salubrem excerni.

Ex pathologia autem nobis constat, quo majorem cujusdam partis actionem esse, eo minorem causam externam ad morbum provocandum sufficere; sic cutis actione magnopere in regionibus tropicis adaucta levissima temperiei turbatio morbos cutaneos procreare potest. —

Elephantiasis, quam Hall secundum morborum historias sectionesque morbum vasorum lymphaticorum, Hendy glandularum lymphaticarum esse censet, ex suppressa cutis actione originem ducere possit; nam in India occidentali maxime apud servos nigros invenitur, qui noctem sub coelo humo postrati jacent, dormiuntque. Originem hujus morbi vitae immodicae imponendam esse, vix credibile est, quamquam causam occasionalem ex hoc vitio oriri posse non refutem. Aëris inquinatio in morbo oriundo plane est rejicienda, quum tantum inveniamus in illis Antillis morbum, de quo agitur, in quibus aër vastatis silvis, exsiccatis paludibus aut adjuvante ipsa loci natura, purus, siccus, saluber est.

Quae quidem omnia in insulis Antigua, Havanna, Barbados invenimus, attamen morbum ipsum valde homines urgentem praecipue in insula Barbados, ex

qua nomen etiam morbi forma peculiaris accepit. Nonnulli scriptores aquas accusant causam, sed in insula Barbados aquae longe aliarum insularum aquam bona qualitate superant. Victus denique ipse morbum gignere non potest, licet cibi nimie salsi, pingues, praecipue pisces accusarentur, praesertim cum morbus haud dissimilis, nisi aequalis apud equos inveniatur. Causa sufficiens igitur mihi refrigerium in hocce morbo procreando esse videtur. Sed perscrutationem hancce mitto et ad aërem; quomodo morbos gignere potest endemios, redeo.

Aër gasis nocificis, praecipue vegetabilium animaliumque corporum dissolutione oriundis, imbutus, sic ut qualitas aëris respirationis mutetur, in morbis gignendis endemiis maxime valet causamque sine dubio morborum istorum habendam esse puto.

At ut oriatur ille vapor nocificus ex vegetabilium animaliumque rerum dissolutione, calor adauctus simulque humor adsit necesse est. Sic ex tribus rebus orientem vidimus vaporem nocificum, qui locis, in quibus maxime valet, morbos endemios procreat. Liceat mihi idcirco nonnullas regiones addere, in quibus conditiones ad vaporem gignendum idoneae nobis occurrunt. Constantinopoli omnia paene supervacua in vias ejecta putrescunt, incolis ipsis in domiciliis impuritate excellentibus, quo fit, ut pestis ibi per se haud raro nascatur. Prin-

gle (1) ex Timonio nobis narrat, pestem illas domos, in quibus puritas reguet vitare, quapropter putrescentia ac impuritas ad morbum provocandum necessariae esse videntur. Simili modoMemphi pestis oritur; viae enim hoc in oppido non stratae, foedore magnopere nocifico explentur, qui foedor ex animalibus putrescentibus, ex locis detrahendis pellibus pecudum morticinorum, sepulcris haud longe ab urbe sitis, sese elevat semperque restituitur (2).

In Italia inferiori maxime circa Romam, in pagis, Campagna di Roma vocatis, in insula Sicilia aër evaporationibus per diem ortis, humidus est. Sol enim his in regionibus miasma evolvit, quod aestate vim in organismum proficit multo magis obnoxiam quam hieme, sicuti Lancisius (3) testatur, quam diu vapores tantum aquosi sublime tentant; quum autem praecipue mensis Julii initio sole magis magisque incumbente putredae sulphurosaeque sublimentur substantiae, orianturque peculiares isti vapores palustres, grassari incipiunt febres tertianae, quae in continuas transire solent.

In aëre depravando magni momenti sunt inundationes. Fluvii enim in alveum recrudescentes, magnam copiam et animalium et vegetabilium relinquunt materiarum, quae adjuvantibus sole et humi-

(1) Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee p. 328.
(2) Volney.
(3) Lancisius: de noxiis paludum effluviis. Veneti 1739.

ditate omnes putrescentes aëris depravationem provocent necesse est. Sic Ganges plus quam sexcenties milliariorum anglicorum perfluens ripas superans planitiem sibi proximam usque ad Octobrem inundat, quo tempore refluentes aquae limum, vegetabilia, cadavera putrescentia (nam ex Hindorum more mortui semicremati in flumen jaciuntur) relinquunt, quae omnes materiae adjuvante solo putrescunt, et aërem valde depravant. Idcirco videmus in istis ripis Choleram morbum endemium, vel primas ejus sedes. At non solum inundationes, sed etiam ostia fluviorum parvas adluentium insulas, multaque hic deponentium, adjuvantibus ceteris rebus miasma constituunt. Sic in ostiis fluminis Rio-Granda, maxima continentique proxima sita est insula, Bulama vocata, quo ex loco febrem flavam anno 1793 ortam, et per contagium in insulas Indiae occidentales translatam esse nonnulli censent scriptores.

Attamen non aquae solum sed etiam silvae ingentes, praecipue montes fruticosi ad aërem inquinandum multum conferunt, quum imbribus defluentibus, quod regionibus calidis haud raro occurrit, soleque urgente folia delapsa putrescant vaporesque solvantur, qui ventis rarissime tantum silvas perflantibus, nocifici remanent regionibus incumbentes et quasi umbra eas circumdantes. Quod in Italia et India orientali temporibus aestivis semper aut

plerumque fit, qua ex causa febres cujusque generis procreantur. Adnumerandi mihi videntur etiam agri oryza obsiti, qui aut fluviis, quia proximi sunt ripis, inundantur, aut arte humidi fiunt.

His in locis vegetabilia, cadavera qualiscunque generis accumulata jacent, et putrescunt, quo fit ut aër pravus reddatur. Itaque homines in dies hisce locis laborantes febribus corripiuntur et vix quadraginta annos nati diem supremum obeunt. Sic secundum scriptores in India orientali, in insula Ceylonia, Javae, in India occidentali decimus agros oryza obsitos colens moritur.

Hanc vero ad disquisitionem quomodo humus vaporum exhalationibus obsecundet, pervenimus. Quum instabilitate humi humores aut ex inundatione aut ex imbribus orti diutius remanere possint, facile intellectu est, aestu regnante exhalationes procreari valde aërem depravantes; solum arenosum e contrario humorem ima petere jubens valde putrescentiae obstare. Humus paludosa, lutosa miasma haud raro exhalat, febres intermittentes procreans. Anno 1826 quum, perruptis aggeribus Hollandiam inundationes vastarent, locis arenosis ne vestigium quidem febrium intermittentium inveniebatur, locis vero paludosis, aut lutosis febres illae magnopere vexabant incolas. In regionibus, quae morbis endemiis vaxantur, saepissime hancce instabilitatem humi invenimus; sic e. g. in Carolina australi, tanta est humi insta-

bilitas, ut refluxis aquis post inundationem, baculus viginti pedum longitudinis in humum immitti possit. In ripis mediterranei maris haud procul ab Acre, Tyro, Antiochia oppidis, terra est humida, paludosa, rudenata, ruinas antiquas simulque amplectens, et his in locis pestis vernacula invenitur. Sic in India occidentali praecipue in Cuba, Hispaniola, Jamaica, terra est paludosa et lutosa, quae praecipue apta est ad exhalandos vapores nocificos, et ad progignendam febrem flavam.

Sed de febri flava pauca addere mihi licitum sit. Quamvis ex causis supra nominatis nempe ex putrescentibus vegetabilibus animalibusque materiis febrem flavam originem ducere nobis eluceat, aut istiusmodi res hoc in morbo plura valerent, tamen haud raro materias ejusdem generis sub conditionibus faventibus ad leges chemicas mutari vix negare possimus, deficiente vero illa febrem flavam gignente miasmate. Neminem vero fugit in cloacis easdem materias sub iisdem conditionibus putridas fieri, gasque exhalare foetidum et ad valetudinem sustentandam pravum. Nihilominus morbum febri flavae similem vix orientem videmus, quamvis homines hoc gas foetidum inspirent; e contrario secundum Buschii enarrationes grassante febri flava anni MDCCXCIII cloacarum purgatores sani omnes fere manserunt, ex quadraginta enim unus tantum morbo affectus est.

Itaque hasce observationes considerantes, fateamur, aërem impuris putrescentibus materiis, ex variis corporibus ortis imbutum miasmatis vehiculum (sit venia verbo) sed non causam morbi proximam esse censendum. Nobis vero perscrutantibus causae prolatae non sufficiunt; ad alias igitur transeamus! Nonnullorum scriptorum opinio, vim electricam aëris minutam ad morbum creandum istum sufficere, verisimilis quidem est, attamen pro certa habere minime potest. Nam observationes, morbis contagiis grassantibus machinae electricae fulgura vix elici posse, non ad conclusionem cogunt, hac ex causa morbos oriri contagiosos. Si originem morbi in India occidentali pensitemus, tum causae satis perspicuae adsunt. Febris flava enim exsistit, si ex aquis stagnantibus vapores sublime tentantes, aëre refrigerato, mixti materiis putredine ortis, regionibus incumbant, hominesque ad morbum dispositos afficiant. Sic febrem flavam Indiae occidentalis tunc tantum ortam vidimus, postquam Europaei e navibus in ripam egressi sunt, nullomodo deficientibus his conditionibus, inter incolas sese generantem, qui nihilominus contagio ex varii morbi casibus orto infecti febri flava laborant.

Restat, ut sententias quoque nonnullorum scriptorum addam. Sunt qui hominum in homines vim, causam censeant in morborum contagiosorum origine, quod vix refutandum, et in oriunda febri flava

sine dubio maximi momenti esse puto, nam vestigia morbi tunc apparuerunt, quum vix navigatores peregrini in littora fuissent egressi, quorum exempla Mathiae (1) ex Moreau de Jonnes aliorumque scriptis et observationibus haud pauca protulit.

Quum variae, quae designantur febris flavae causae et singulae et cunctae veram non ostendunt causam, obiter nunc tangam facta historica, quibus forsitan de hac re certiores faciamus.

Febris flava sine dubio America detecta primum adparuit, frequentissimaque Europaeorum in Indiam occidentalem affluentia divulgata esse videtur, quum quamquam conditiones endemiae semper aderant, incolae, America nondum detecta, huncce morbum ignorassent (2).

Ab anno 1793 incolae ac advenae silvis eruendis studebant; febris flavae vero iterum recrudescentes devastationes satis demonstrant, causam illam ex vaporibus ortam non unicam esse, verum tamen ingressum peregrinorum majoris esse momenti. At credibile ac verisimile est, autochthones semper expositos miasmatibus, quae maxima cum diligentia vix exstinguenda sint, morbo raro tantum corripi, advenas vero noxiis illis non assuefactos morbo succumbere. Quibus quidem observationibus niso

(1) Mathiae: über das gelbe Fieber.
(2) Mathiae: über das gelbe Fieber. p. 237.

Mathiae morbum illum India occidentali genuinum a febri flava sporadice intrante distinguere placuit, credidit enim febrem flavam Indiae occidentalis non esse contagiosam; hoc vero cum observationibus nullomodo consentit, nam et huncce morbum genuinum tum advenas cum indigenas, contagio ex advenis orto, omnes inficientem vidimus.

Rebus omnibus ad causam febris flavae spectantibus pensitatis fateamur causam veram nos fugere. Sed circumspiciens equidem causam ex peculiari telluris indole ad procreandos vapores apta, qui quum cum advenis in contactum venissent, vim organismo obnoxiam accipiant deduxerim.

Quum huc usque praecipue de vaporibus aquarum stagnantium sermonem fecerim, nunc de indole ac natura vaporum aliquid addendum mihi esse censeo.

Scimus cuticulam superficiem aquarum stagnantium tegentem productum ex materiis varii generis dissolutis esse, et sub cuticula illa limum putrescentibus corporibus organicis ac infusoriis repletum jacere. Neque ignotum est in superficie paludum exsiccatarum rete splendens, quod noctu fulgorem phosphorescentem demonstrat, animadverti. Hae vero partim animo fictae, partim experimentis munitae theoriae de ipsa exhalationum palustrium natura certi aliquid nobis praebere haud potuerunt. Experientia autem illam Varonis sententiam, »hisce

vaporibus animalia inesse, quae per transpirationem in organismum intrarent, ibique morbos gignerent,« refutavit. Posterioris saeculi scriptores vapores sulphuratos et salinos principium agens illarum paludum exhalationum esse putaverunt.

Quas exhalationes et gaso hydrogenio et azotico constare existimans Dr. W. Currie, insalubritatem regionum humilium ab atmosphaera, oxygenio carente, deducit. Attamen experimenta eudiometrica docuerunt, aërem paludosum justam oxygenii copiam continere: nam celeberrimi chemici Parisienses inter aërem ex illo, quod dicunt, Hôtel-Dieu, desumtum, qui saepe teterrimum foetorem prae se fert, et inter eum, qui summum montem Montmartre circumdat, nullum invenerunt discrimen (1).

Auctore Baumes aër in paludosis regionibus ex hydrogenio, azoto, hydrocarboneo et ammoniacali gase constat et ex putredine partium organicarum originem ducit. Textoris oxydum animale posuit, quod quidem probare oblitus est. Quamvis recentioribus investigationibus a viris peritissimis Guattani, Mascati et Julia institutis paludosae atmosphaerae gas hydrogenium carbonatum immixtum esse constat, hoc nihilominus tamen pro miasmate paludoso non est habendum, quoniam gas hydrogenicum carbonatum in laboratoriis chemicis

---

(1) Encyclopaedie der medicinischen Wissenschaft.

paratum, omnino aliam exercet vim, neque unquam symptomata febris re- vel- intermittentis producere possit. Itaque disquisitiones chemicae veram exhalationum paludosarum naturam demonstrare non possunt. Atque ad hypotheses refugiendum est, quarum ea mihi verisimillima videtur, quae perniciosas illas exhalationes ex elementis humi pinguis componi probat; quae elementa solis radiis nec non aëri et humoribus exposita, novas inter se ineunt consociationes, quae solis ardore diffusae statim cum aliis infima aëris strata explentibus vaporibus sese conjungunt. Quomodo ea evolutio fiat, satis bene compertum habemus. Interdiu aër semper paludibus impendens clarus et inodorus, sine ullo periculo inspirari potest, cum vapores solis ardore procreati et calefacti in regiones altiores ascendant, post occasum solis vero propter minorem calorem demersi et cum continuis paludum exhalationibus conjuncti et concentrati regionibus iis incumbunt. In calidis coeli plagis humum multo longius quam aërem calorem suum retinere constat, unde fit ut effluvia prodeant, quae calore aëris minuto vaporibus altiorum regionum sub forma roris et nebulae delapsis sese admiscent et densam foetidamque atmosphaeram constituunt. Quare brevi tempore post solis occasum humiliora loca plerumque crassis velantur nebulis, quibus corpus humanum infectari et malignas febres produci neminem fugit. — Jam de

fluentibus aquis, quantum in procreandis morbis endemiis valeant, dicere nonnulla mihi liceat. Febrem intermittentem circa singulos fluvios endemicam invenimus, quo declivitas alvei pertinere videtur. Quam quidem sententiam Rhenus ante omnes optime munit, ab ejus enim fontibus usque Churium, ubi ille velociter ruit, nullam animadvertimus intermittentem febrem; inde vero usque ad oppidum Mainfeld, ubi fluvius tardius undas protrudit, crebriores nobis occurrunt; a Mainfeld usque ad Argentoratum ripae Rheni iterum omnino intermittentibus febribus carent, atque iterum ab hac urbe usque ad Bingen, in media fluminis via, ubi per montes Schistas penetrat, Manheimii, Augustae Nemetum et Frankendaliae febres endemiae saepius grassantur. In universum, primum omnium fluminum cursum raro febres intermittentes comitantur, dum flumine ad mare decurrente frequentissimae fiunt. Padus qui tardissime movetur, ubique intermittentes offert. In Hispania circa regionem la Mancha, ubi omnes aquae inertes proserpunt, febres tertianas endemias videmus, quae eo facilius oriri possunt, cum praeterea humus illa paludibus abundet.

Attamen non solum declivitas alveorum sed etiam commixtio aquae fluviatilis cum marina plurimum refert ad constituendos morbos endemios, praesertim cum aliae materiae in ea dissolutae sint. Quod quidem maxime in Lacunis (uti vocant) fit, e. g.

in parte superiore maris Adriatici, in oris Francogallicis et omnino in iis terris, quae tam humilibus cinguntur littoribus, ut aestus marini in fluviorum alveos invadant et calore dissoluti verum ibi gignant intermittentis miasma.

Quum aqua omnibus hominibus exhibeat potum, vario modo exortum morborum adjuvare potest, quippe quae modo ex liquefacta tantum nive constet, modo alienas contineat partes. Ita in Helvetia praesertim Valesiae vallibus mera nix liquida bibitur, unde multi scriptores strumarum originem derivant. Cui opinioni non omnem fidem tribuerim, quoniam terra paludosa, aër humidus, quod de Luc affirmat, vel frequens ascensus montium magnam vim exercere videntur, atque in Sumatra, ubi strumae immensae magnitudinis occurrunt, nix ne nota quidem est. Incolae vero hujus insulae morbum aquae cuidam frigidae et albae attribuunt (1). Sabaudi et Piemontani et ii, qui regiones montanas habitant, inopia coacti sunt, ut viatores peregrinos super montem Cenis, Leunsburgio usque Novalesiam in lecticis gestent, quare apud eos strumae endemiae inveniuntur. Materiae, aliae aquae immixtae certe magnum in strumas producendas sibi vindicant momentum. Sic Matrona, Campaniae Francogallicae fluvius, paludosam et cretaceam humum

(1) Forsters und Sprengels Beiträge Tom. 1. p. 11.

permeat; cujus aqua, cum artificiose in oppidum Rhemos esset deducta, strumas, antea ibi frequentissimas (1), quarum causam puteos esse opinabantur, paene radicitus extinxit (2). Viri clarissimi Saussure et Ackermann strumas in vallibus tantum inveniri docuerunt, id quod Grand d'Aussi negat, qui in oppido Clermont in alto monte sito et in oppidis Royal et Lack, quae etiam altius collocata sunt, nunquam in vallibus, strumas multas animadvertit. Non tamen obliviscendum est, ea quae modo a nobis allata sint, nil nisi singulas exceptiones dici posse, quibus norma quaedam statui omnino nequeat.

Quà ratione aqua potatoria endemios morbos efficiat, jam satis contemplatus, nunc ad eas observationes transeo, quae de endemiis ex alimentis profectis existunt earumque originem in clariorem proferunt lucem.

Victus animalis omnino saluberrimus et vegetabili sine dubio praeferendus est. Ex qua vero regni animalis classe homo victum suum eligat, magni interest; quo magis a majoribus animalibus quadrupedibus ad inferiora recedit, eo facilius et saepius hominem morbis corripi conspicimus, quod

---

(1) Murray's praktische Bibliothek. Tom. 1.

(2) Leon. Lud. Finke: Versuch einer allgemeinen praktischen Geographie. Tom. 2. p. 64.

tum maxime fieri solet, quum piscibus depravatis fruitur.

Leprae in Aegypto endemiae culpa (quem quidem morbum in nulla alia terra versari contendit Lucretius) (1) tum in pisarum et lentium cum praecipue in putridorum piscium nec non pravae et immundae Nili aquae usum summo jure confertur (2). Tale quid Tournefort quoque affert, qui in itineribus suis apud Graecos saepius lepram invenit, quam apud Turcos, qui carne vesci amant (3). Martiguesi provinciae francogallicae oppido morbum leprae arabicae simillimum vigere Dr. Joannis (4) enarrat, qui a torpida et insensibili surae tumescentia incipiens, alteriore decursu scirrhosos nodos, squamas et alia ejusmodi symtomata secum fert. Etiam hunc morbum a victu oriri verisimile est, quia incolae hujus oppidi magnam piscium comedunt copiam, et praesertim pisces lacus Barra levites et equa salita coctos et ex parte adhuc crudos devorare consuerunt.

Diaeta lactea fibras musculares relaxat et diu-

---

(1) Gignitur est Elephus morbus, qui propter flumina Nili Aegypto, in media, neque praeterea usquam.

(2) Cartheuser: de morbis endemiis. Frank Medicinische Polizei. Tom. 3.

(3) Lorry: Abhandlungen von den Krankheiten der Haut. Leipz. 1779. Tom. 1. p. 674.

(4) Medicinische Bemerkungen und Untersuchungen einer Gesellschaft von Aerzten in London. Altenburg 1759. T. 1. p. 183.

tius continuata homines ad varios morbos proclives reddit. Apud Helvetos, qui valles habitant ac plerumque caseo et lacte vivunt, hernias endemias invenimus, quas Sulzer (1) ex sola tantum victus ratione, Blumenbachius (2) inde exortam partium fibrosarum laxitatem et atoniam praestantissimam ad hernias disponentem causam esse censet. Cibi pingues, farinosi oleo lini conditi dyspepsiam efficiunt et complures morbos provocant, inter quos Trichoma Poloniae et Litaviae morbus endemius a multis numeratur scriptoribus. Alii quidem remotam ejus causam in aspera, salita et lutosa, particulis mineralibus immixta aqua ponunt, quae ex Alpibus Pannoniis effusa, vicinos fluvios implet. Quam opinionem Vicat (3) prae alteris defendit. Contra alii nimium spiritus frumenti, alii boletorum usum in suspicione habent. Maxima vero auctorum pars, quorum plurimi compilatores aestimandi sunt, nil aliud quam sordidam vitae rationem et capillorum, qui non pectuntur, neglectam culturam accusant. Eundem morbum vel certe similem in Brisgovia, Belgia et nonnullis pagis Rheni vigere Joa. Schen-

---

(1) J. Casp. Sulzer: de morbus quibusdam Helvetiae endemiis.

(2) Medicinische Bibliothek l. c.

(3) Murray: Medicinisch practisch Bibliothek. T. I. p. 579.

kius (1), aliique scriptores Hammoniae (2), Parisiis (3) inveniri referunt, quorum observationes a prius allatis de vera Trichomatis causa opinionibus ineptae redduntur. Ante omnes autem ii errant, qui nimis elatas et plerumque commentitias sordes accusant, quae etsi viro Exp. Finke (4) in gravissimam suspicionem veniunt, nihilominus apud nobiles homines, qui et ipsi eo morbo affecti sunt, omnino disiderantur. Praeterea inter omnes constat morbum illum pristinis incolis plane ignotum a Tartaris, cum circa annum 1287 saepius Poloniam opprimerent, per contagium in Pocutiam importatum esse, unde nova contagione in dies longius atque longius progressum eum morbum totam Poloniam et nonnullas Hungariae et Silesiae (5) superioris regiones intrasse, ac sede stabili correpta, malum initio epidemicum in endemium transiit. Ita antequam plicam polonicam sordidae vitae rationi vitio vertamus, discernendum nobis erit, num incolae Poloniae ante annum 1287 mundiores sese ges-

---

(1) L. c. p. 35. Brisgois, scribit, Alsatis, Belgis, nonnullisque Rheni tractibus, quasi endemium (sc. hoc capillorum vitium) et popello nostro notum est satis. Cives hic ipse novimus supra triginta quorum aliqui vel hodie supersunt, hoc capillitio insignes.

(2) Holst in Hufeland's Journal. T. 7. p. 147.

(3) Dufour: in der Sammlung aufserordentlicher Abhandlungen für practische Aerzte. T. 24. p. 443.

(4) Leon. Lud. Finke: Versuch einer allgemein practischen Geographie. Tom. 2. — Polonia — p. 481.

(5) F. J. Cartheuser: de morbis endemiis. Francof. 1771.

serint quam posteri et qui nunc vivunt ac morbo illo adhuc vexantur. Quam quidem quaestionem Exp. Finke silentio praeterit. Eodem modo alia quoque, quae profertur, causa, quae est, quia capillos pectere praetermittant refelli potest, cum morbus, si veram inde duceret originem, localis tantum dicendus, et localibus remediis, capillisque desumtis curari posset. Quod autem si aliquando conati sunt, malum eo gravius increvit et dirissimas procreavit depravationes, ut non locale sed universale aestimandum fuerit. Jam vero equi quoque et canes hoc cognitu digno morbo laborant, quos pectendi sane non mos est apud Polonos. At ipsos feros, qui in Asia circumvagantur, neque unquam ab ullo homine pectuntur, equos nemo eo morbo vexari animadvertit.

Itaque nec illa opinio probari potest, quare nunc aliam sententiam in medium proferam, quae mihi quidem veritati propius accedere videtur. Sunt enim qui existiment, Judaeos et rusticos, quos morbus saepissime corripit, per aestatem et hiemem caput mitra pellicea obtegentes, frequentes harum partium admittere refrigerationes et cachexia universali in locum continuae irritationi expositum allectata, morbi eruptionem fovere.

Sed ne haec quidem opinio ad explicandam morbi naturam sufficit, qui etiam in mulieres incidit, quae caput leviter vestitum rarius refrigeriis

exponunt. Quam ob rem singulae conditiones per se ambiguum morbum illum procreare non possunt, sed pluribus opus est causis, quae simul conjuncta vi in organismum humanum agant. Tali modo aqua potatoriä, quod Vicat vult, farinosi et pingues cibi, frequens capitis refrigeratio et reliqua a scriptoribus allata momenta praedispositionem hereditate vel contagio in corpus illatam in morbum ipsum commutare et verum Trichoma producere videntur.

Inter externas endemias constituentes causas etiam venti summo jure numerantur, qui per flatum suum immundas exhalationes, quibus conditiones ad endemias necessariae insunt, secum ferunt, causam procatarticam aliis regionibus impertire, et ex tractu endemia affecto continuo spirantes morbum initio epidemicum neque longius progressum in alia loca transferre possunt, quae per se nullam ad endemias exoriundas praebent facultatem. Qua ratione venti endemias procreare possint satis patet. Insigne exemplum Lancisius narrat, ex triginta enim hominibus, qui in ripa Arni ambulabant viginti novem febri intermittente correpti sunt, quia aspero vento sese exposuerant.

In regionibus torridis deficientes venti maximi momenti in endemiis oriundis sunt, exhalationes enim ventis non dissipatae sublimia petere et tempore vespertino, aëre calefacto, nebulae instar decidere et regionibus incumbere solent. Porro ani-

madvertendum est, quod plerumque Vulturni et Austeri noxii, e contrario Cori et venti septentrionales salubres sunt, excepta sola facultate homines refrigerio exponendi, qua ex causa ad endemias praedispositiones, omnibus aliis causis durantibus, gignere possunt. Ita ad Constantinopolin ventis septentrionalibus exhalationes ponti euxini, qui aquis paludis Moeotis immixtis turbidus et lutarius fit, sic hanc urbem semper humidam reddunt. Sed ad molestates hujus urbis etiam venti calidi pertinent et temporibus quibusdam spirant et vix inspirationem permittunt. Hae vero ventis ortae mutationes in corpus humanum nocificam exerceant vim necesse est.

Sed et alias regiones, quod ad hanc endemiarum attinet causam, pensitemus. Minorca (1) insula secundum Cleghorni descriptiones valde montana, lutosa, aestatis calore magnopere pressa, imbribus saepissime per annum submersa, tamen non omni ex parte insalubris est nominanda, quia venti vapores, secum ferentes, dissipant. In Dalmatiae oppido Almissa haud procul ab ingenti palude, quae multos exhalat nocificos vapores, hi a ventis subito dissipantur, quibus quidem Narentae deficientibus, hoc in oppido quotannis febrem pestilentialem grassari videmus.

Ventus, qui Memphim occupat, Auster africus,

---

(1) Volney's Reise nach Syrien und Aegypten. Jena 1780.

jam ex odore sulphurato satis cognitus, sine dubio causam ad pestem Memphi vernaculam procreat adjuvantem.

In Helvetia venti septentrionales et Vulturni frigidi quidem sunt, sed aërem valde purificant; regiones autem ab Austris aut ventis occasionalibus perflatae, humidae et insalubres; quam ob rem nobis haud raro febres intermittentes, fluviis trans ripam diffusis, occurrunt. Valles rarissime aut nunquam ventis perflatae humidae et verae cretinismi sunt sedes.

Jam de miasmatibus et contagiis ipsis pauca addere reliquum est.

Miasmatis et contagii notio.

Potentiae morbificae naturae nomina haecce sibi vindicarunt. Miasmati et contagio id commune est, quod in homines translata semper eos morbos, mutatos tantum et varios secundum aegrotantis indolem, gignant. Hae potentiae nocificae in duas sejungendae sunt, altera cui deest vis in corpore aegrotanti sese recreandi, altera, quae in aegroto materiam procreat corpori tertio illatam eundem morbum excitantem. Primam harum noxarum miasma nominamus sive contagium sterile s. mortuum, alteram sensu strictiore contagia, contagia viva s. vegata.

Miasmatis indoles.

Ex miasmatis definitione, supra constituta, apparet, hocce tantum ex natura gigni posse et quidem materiis vegetabilibus aut animalibus, adjuvante calore. Ut igitur miasma oriatur, adaucto calore externo variisque materiis opus est. Ex materiis miasma procreantibus varias habemus miasmatum species:

1. miasma paludum, ex quo febres intermittentes oriuntur;

2. miasma telluricum Italiae, quod febres quas vocant pernitiosas procreat;

3. miasma quod ex putrescentibus materiis oritur, e. g. in Gangis atque Nili ripis;

4. miasma sepulcrorum, cui peculiare est, quod febres nervosas magna cum debilitate procreat.

Contagii indoles.

Contagium ex duobus factoribus oritur, quorum unus est materia nocifica in corpus irruens, alter reactio organismi, per materiam illam morbo affecti, semperque ut gignatur corpore vivo opus est. Materiam eam igitur, uti supra jam dictum est, contagium vocare possumus, quae ab aegrotante egressa in altero eundem morbum provocat, quo id corpus, cui originem debet, laboravit. Vitalem actionem organismi ad procreandum contagium ne-

cessarium esse hac in re omnes medici consentiunt. Sic Unzer (1) eum morbum contagiosum dicit, quocum materia quaedam in aegroto corpore necessario sit juncta, quae si in aliud corpus animale transierit, eundem semper excitet morbum. Hartmann (2) eum morbum contagiosum esse dicit, qui in organismo animali mediata vel immediata actione alius corporis animalis eodem morbo laborantis concitetur. Roeschlaub (3) contagium eam materiam esse morbificam dicit, quae certo alicujus hominis morbo procreata, in aliud corpus translata, ibi semper eandem morbi formam excitet, quae in homine, ex quo natum sit, floruerit.

Contagiorum divisio.

Varia est contagiorum divisio. Sic Roschoux (4) in duo genera naturalia distinguit contagia; alterum ex opinione ejus germine praeditum est, quod animalium more regeneratur et multiplicatur; alteri germen aut deest, aut imbecillissimum inest, ut ad altiorem propagationem omni fere vi indigere videatur, qua remota, tollitur germen. Itaque morbis ex

---

(1) Joh. Aug. Unzer: Einleitung zur allgemeinen Pathologie ansteckender Krankheiten. Leipz. 1782. §. 8.

(2) Ph. C. Hartmann: Theorie der Krankheit oder allgemeine Pathologie. Wien 1823 p. 381.

(3) A. Roeschlaub: Lehrbuch der Nosologie. Bamb. et Würzeburg. 1801. p. 227. §. 839.

(4) Encyclopaedie der medizinischen Wissenschaften etc.

germine oriundis psoram, syphilidem, hydrophobiam, variolas etc., germine autem carentibus pestilentiarum species, pestem orientalem, typhum nosocomialem, carcerum adnumerat. Hartmann (1) contagia in materialia et dynamica sejungit, eam notam proponens, quod morbi materialibus contagiis excitati ex uno homine in alterum materia quadam transeant, qui vero dynamicis efficiantur, minime ulla materie; quare eos tantum morbos, qui a materialibus contagiis proficiscantur, vere contagiosos vocat. Friedländer (2) Hartmanni divisionem sequitur. »Haud pauca enim sunt, inquit, contagia, si ita appellare fas est, quibus nulla fere materia subjecta est. Constat enim, quosdam animi et nervorum morbos contagione propagari, medicisque omnibus contagiosa quaedam vis insaniae, convulsionis, doloris, nauseae, atque vel risus, fletus, oscitationis comperta est. Itaque contagionem neque vero contagium cernimus. Sunt etiam alii corporis morbi contagiosi, ut scarlatina, morbilli, quorum contagia omnis fere materiae expertia sunt. Plurima tamen contagia materiae cuidam animali inhaerent, atque ea vim suam declarant; itaque secretione parantur, multisque naturalibus humoribus, vel morbosis inhaerent.« — Gaubius (3)

(1) Libr. c.

(2) Lud. Herrm. Friedländer. Fundamenta doctrinae pathologicae. Lips. 1828. p. 261.

(3) l. c. p. 278.

contagiones, ut ipsius verbis utamur, in acutas, quae per aërem propagantur, et in chronicas, quae contactu in alios transfluunt, aut etiam, quae variis mercibus excipiuntur: vestibus, bombice, lana, et sic in remotas terras transferuntur, sejungit. At satis de iis contagiorum, quae ex ipsorum origine aut majori minorive celeritate actionis sumuntur, divisionibus dixisse mihi videor, uti in aliam ex contagii propagatione evocandam transire possim. In qua divisione id discernendum est, utrum:

a) contagium miasmatis instar in aërem recipi queat, an

b) contagium immediato tantum contactu inter aegrotum et sanum intercedente, vel contactis ab illo vestibus aliisque rebus, quibus contagium inhaereat, noxium fiat.

Primam contagiorum speciem contagia volatilia s. contagia per distans agentia appellamus, alteram vero contagia fixa, sive contagia per contactum agentia.

Quomodo recipiantur miasmata et contagia.

Materiae infectoriae ut in organismum recipiantur, quaedam vitae conditiones postulantur, quarum prima ad morbos proclivitas est, qua deficiente, infectio nunquam apparebit. Viae, per quas miasmata et contagia in corpus transferuntur, tres sunt:

1) cutis,
2) pulmones,
3) tractus intestinorum.

Cutis quam apta sit ad contagia et miasmata organismo inferenda, notum est. Experimentis insitarum variolarum, inunctionum adhibitarum cutis absorbtio satis patet.

Pulmones quoque contagia et miasmata recipiendi facultate praeditos esse, vegata eorum vi resorbenti probatur, quum magna glandularum lymphaticarum copia, quibus trachea, bronchi et bronchia obtecta sunt, multaque vasorum lymphaticorum abundantia et in externa superficie pulmonum et in parenchymate fovere verisimile est. Sic Nysten (1), praesertim Edwards principium azoticum et hydrogenium, ideoque contagia et miasmata aëri immixta celerrime a pulmonibus resorberi, multis experimentis docuerunt.

Ad recipiendas materias infectivas tractus intestinorum minime idoneus esse videtur, cum constet, quasdam materias vehementer urgentes, sicuti venenum serpentium in canalem instetinalem delatum, plane innoxias jacere. Sed propter vasorum absorbentium, quae in tractu intestinali inveniuntur, ingentem copiam, ea opinio, materias infe-

(1) Encyclopaedie der medicinischen Wissenschaften.

ctorias hoc modo resorberi posse, non omnino est rejicienda, quamquam physiologia tractu intestinali plerumque tantum assimilationi idoneas materias resorberi, docet.

LITERATURA.

1. J. F. Cartheuser, de morbis endemiis. Francof. 1771.
2. L. C. Finke, Versuch einer allgem. medicinisch practischen Geographie. Leipzig 1792 — 1795.
3. Fr. Schnurrer, Geographische Nosologie, oder Lehre von den Veränderungen der Krankheiten in verschiedenen Gegenden der Erde. Stuttgard 1814.
— — Chronik der Seuchen, oder die Krankheiten historisch-geographisch betrachtet. II. Tom. Tübingen 1822 — 1825.
4. Herder, Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit 1. Th. p. 89 sq. Riga 1784 — 1791.
5. F. W. Becker, Ueber medicinische Geographie. (Hecker's liter. Annalen der gesammten Heilkunde. Tom. XIX. p. 129.)
6. Cr. Moritz Hasper, über die Natur und Behandlung der Krankheiten der Tropenländer, durch die medicinische Topographie jener Länder erläutert, nebst der in den Tropenländern zur Verhütung derselben zu beobachtenden Diätetik. II. Th. Leipzig 1831.
7. Prop. Alpinus de medicina Aegypt. (ed. noviss. 1829).
8. Ae. Isensee: Elementa nova geographiae et statistices medicinalis. Berol. 1833.

V I T A.

Ego *Carolus Fridericus Alexander Schlecht*, confessioni evangelicae addictus, Posnaniae natus sum a. MDCCCVIII, parentibus carissimis, patre *Carolo Schlecht*, Chirurgo, quem defunctum lugeo, semperque lugebo, matre *Rosalia* e gente *Langneriana*, quam vivam veneror. Plures annos progymnasium, quod rectore, pastore *Friedrich*, valde de me merito viro florebat, frequentavi. Annos sedecim natus hujus saeculi anno XXV Gymnasium Posnaniense, quod sub auspiciis Cl. Rect. *Stoc* et *Jacob* florebat, adii, ibique in litteras incubui per annos septem. Anno MDCCCXXXI. mense Octobri ad almam litterariam, quae Vratislaviae est, me contuli, die XI. m. Novembris ab Ill. *Huschke* t. t. fascias academicas tenente civibus Universitatis Vratislaviensis adscriptus, ab Ill. *Wendt* ejusdem anni Gratiosi ordinis medicorum Decano in numerum medicinae studiosorum receptus sum.

Per tres annos integros hosce viros audivisse glorior. Exc. *Barkow* osteologiam et syndesmologiam mihi illustravit. Ill. *Benedict* chirurgiam generalem et specialem, ophthalmiatricen, fascias applicandi artem, operationes in cadaveribus instituendas mihi explanavit. In

exercitationibus clinico-chirurgicis per annum integrum me adjuvit. Ill. *Betschler* artem obstetriciam cum theoreticam tum practicam me docuit. In Policlinico obstetricio, duce eo usus sum eximio ac benevolentissimo. Ill. *Elvenich* de logice disserentem audivi. Ill. *Nees ab Esenbeck* botanicam theoreticam; Ill. *Fischer* chemiam theoreticam et practicam, pharmaceuticam, de corporibus organicis nominatam, reagentia amplectentem; Ill. *Glocker* mineralogiam; Ill. *Gravenhorst* zoologiam mihi enuclearunt. Exc. *Goeppert* in excursionibus botanicis mihi benevolus dux fuit. Ill. *Klose* encyclopaediam medicam, therapiam generalem nec non morborum chronicorum me docuit. Ill. *Otto* anatomen corporis humani, anatomen comparatam nec non pathologicam, historiam foetus, sectiones forenses rite instituendi artem mihi demonstravit. Idem vir praeclarus per duo semestria hiemalia in exercitationibus anatomico-practicis dux humanissimus mihi fuit. Ill. *Pohl* physicen mihi exposuit. Ill. *Purkinje* physiologiam corporis humani experimentis illustratam, nec non pathologiam generalem mihi evolvit; Ill. *Remer* de therapia speciali disserentem audivi. Idem vir summe venerandus in exercitationibns medico-clinicis per annum integrum moderator benevolus mihi fuit. Ill. *Wendt* materiam medicam, doctrinam de morbis ex laesa nutritione oriundis, de syphilide, de thermis et fontibus medicatis Germaniae tractantem audivi.

Triennio Vratislaviae peracto Berolinum me contuli, die XIX. m. Novembris anni MDCCCXXXIV ab Ill. *Steffens* t. t. Rectore Magnifico civibus Universitatis adscriptus; ab Ill. *Busch* t. t. Decano spect. in numerum medicinae studiosiorum receptus sum, hucusque hasce praelectiones clinicas frequentavi: clinicum medicum Ill. *Bartels;* clinicum obstetricium Ill. *Busch;* clinicum chirur-

gico-ophthalmiatricum Nob. *de Graefe;* clinicum morborum syphiliticorum Ill. *Kluge;* Policlinicum medicum Ill. *Osann;* Clinicum chirurgicum Ill. *Rust.*

Hisce omnibus viris Illustrissimis, praeceptoribus Humanissimis, summa pietate ad mortem usque venerandis, maximas quas habeo, gratias nunc refero.

Tentaminibus et examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Arthritis sanguinis est morbus.
2. Cholera orientalis non est morbus contagiosus.
3. Trepanatio per se non est operatio periculosa.
4. In ulceribus syphiliticis curandis localis curatio non sufficit.
